



D. PALMIERI

TRACTATUS

DE
POENITENTIA

BT800

P3


008344



EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis



1080015112



TRACTATUS
DE POENITENTIA

QUEM

IN COLLEGIO ROMANO SOCIETATIS IESU

TRADIDIT

DOMINICUS PALMIERI

THEOLOGIAE DOCTOR EX E. S.



Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Valerio y Tellez



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
MDCCCLXXXIX.

JONDO EMESTER
ALFARERO DE LA PLATA
44995

BT 800

P3

BENEVOLO LECTORI

HE

Auctor sibi vindicat ius proprietatis.



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

Edo Tractatum de Poenitentia, quem iam tertio tradidi discipulis in Collegio Romano, expolitum in non paucis atque quibusdam praeterea quaestionibus auctum. Ordo tractationis exactus est ad normam s. Thomae in summa et supplemento, quam methodum semper in hoc tractatu tradendo servavi.

Reperiet heic lector quaestiones omnes, quae agitari solent, tum scholasticas, quibus scilicet intelligentia dogmatis, auxiliante ratione, aperitur, tum historicas, quae hoc in loco non tam utiles sunt quam necessariae. At quia omnia, quae hac in re aguntur, ex Verbo Dei divinaque positiva institutione dependent, quam Patres Synodique oecumenicae ex verbis Christi ad Apostolos (Ioan. XX. 21-23) repetendam ducunt, curandum esse censui, ut completa, quoad eius fieri pro virili mea parte potuit, analysis eorumdem verborum haberetur, quam quidem per plures pro rei opportunitate theses productam an tandem consecutus sim, lector idoneus iudicabit. Erit forte qui aegre ferat me in non paucis discessisse ab opinionibus historicis Viri cetera eruditissimi, Ioannis, inquam, Morino, cui iamdudum primas in hac re Theologorum natio deferebat: verum et aliorum doctorum exemplum secutus sum (cf. Francolini

008344

Opera de his rebus, atque praeclarum Compendium Theologiae dogmaticae nuper editum a cl. H. Hurter Tom. III. Tract. IX. Sect. 4. De Sacram. Poenitentiae), et puto opus esse tandem ut scientiae frenum accipiat eruditio. Haec habui quae monerem. Uttere his, bone lector, si tibi probantur, Deumque omnes precemur ut spiritum poenitentiae cordibus nostris inserere dignetur.

Romae 1879 in festo s. Andree Apostoli.

TRACTATUS DE POENITENTIA

PARS I.

DE POENITENTIA VIRTUTE SECUNDUM SE

Summa s. Thomae 3. p. q. LXXXV.

THESIS I.

Spectato usu biblico ipsaque rei natura, certum est poenitentiam salutarem, quae in voluntate est, non esse tantum propositum quoddam novae vitae, praescindens a detestatione et dolore anteactae malae vitae, sed essentialiter detestationem simul et dolorem hunc complecti tanquam principium quoddam eiusdem propositi.

I. Ex certa Ecclesiae doctrina, quae omnes actus poenitentiae ad tres revocat (Trid. Syn. Sess. XIV. c. 3), omnis poenitentia vel est contritio cordis, vel confessio peccatorum, vel satisfactio, quae ceteros omnes actus poenales complectitur distinctos a primis duobus. Constat autem confessionem oris non esse per se de essentia poenitentiae, etsi necessaria sit ex institutione divina: pariter sine satisfactione, prout est a duobus praecedentibus distincta, constat posse haberi hominem vere poenitentem, puta in articulo mortis, et idcirco veram poenitentiam. Quare essentia poenitentiae vel in contritione sola reperitur; quae contritio proinde simpliciter poenitentia quoque dicitur, seu clarius poenitentia animi.

Circa eam duplex est quaestio 1: an ad eius essentiam spectet detestatio peccati admissi: 2. an haec detestatio sit ratio aut principium propositi non peccandi in posterum.

II. Itaque Lutherus negavit spectare necessario ad poenitentiam odium peccati malaeque vitae detestationem: «*Plus tibi (ait in Serm. De Poenitentia) disentiendum est confessuro quantum diligas iusti-*